



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 17. Charobertus obit. Ludovicus Rex Hungariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

§. XVII.

Sæcul. XIV.
A. C. 1343.

*Charobertus obit. Ludovicus Rex
Hungariæ.*

Carolus seu Charobertus Hungariæ Rex die Martis ante festum S. Margaritæ, scilicet sexto decimo Julii an. 1342 vitam cum morte commutans tres reliquerat filios, Ludovicum, Andream, & Stephanum. Ludovicus septendecim natus annos successit Patri, & coronatus est die dominica ante festum S. Jacobi vicesimo primo Julii in templo Albæ Regalis per Chanadium Archiepiscopum Strigoniensem, qui socios habebat sex Episcopos, nimirum Quinque Ecclesiarum, Agriæ, Vesprinii, Jaurini, Sirmii, & Bosniæ. Andreas secundus Charoberti filius evasit Rex Neapolis: ac Stephanus factus est Dux Sclavoniæ. Rex Andreas diu instabat Papæ, ut ipsum coronari sineret; quod tandem obtinuit 2 Febr. 1344. Id negotium mandatum est Cardinali Emerico Chastelio, qui etiam a Regina Joanna clientelæ professionem recepit pridie Calendas Septembres ejusdem anni.

*J. Vill. l. 12.
c. 6.
Bonfin. p.
325.
Dlug. to. 1.
p. 1063.*

*Rayn. p. 344.
n. 16. 17.*

Interim Sicilia divinis interdicta erat a die sententiæ contra Petrum Arragonium per Nuncios Papæ Benedicti XII pre-

*Sup. lib. 94.
c. 62.*

Sæcul. XIV.
A.C. 1343.

pronunciatæ anno 1339. Quæ res Papæ Clementi præbuit ansam reservandi arbitrio suo cuncta præcipua hujus insulæ beneficia suffragiis subjecta tunc vacantia, & vacatura, scilicet episcopatus, Ecclesias Canonorum collegio insignes, Abbatias, & prioratus cœnobiticos, ac electioni obnoxios. Hæc reservatio fiebat in biennium a Calendis Juniis anni 1343, quo tempore defluebat illa, quam decreverat Joannes XXII; neque monasteria Virginum comprehendebat. Litteræ Clementis VI scriptæ sunt 5 Maji eodem anno.

§. XVIII.

Papa, quid Imperatorem facere velit, edicit.

Rayn. n. 42.

n. 57.

Clemens VI vivente Ludovico Bavaro eligi alium Imperatorem cupiens infisteat vestigiis Joannis XXII: ac die Cœnæ Domini 10 Aprilis fufas edebat litteras: ubi, quidquid a morte Henrici Luxemburgii factum, quidquid Ludovico Bavaro objectum erat, repetit: ac postea sic concludit: Igitur continuata simul & multiplicata ejus crimina diutius impunita sinendo impares admonemus ipsum, ut intra tres menses administrationem Imperii & titulum Imperatoris, aut Regis,